



§. I.

DE podagra retropulsa acturus vocis rationem haud negligo.
Ποδὸς ἄγρα (a) captura pedis est, nomen ergo ipsum
pedis usum interceptum determinat. Idem morbus ali-
os articulos si occupat, vox ἄγρα cum nomine articuli affecti
iungitur, ita ut modo ischiagra, modo gonagra, modo chiragra
appelletur. Merito autem eiusmodi denominationes paeferun-
tur, tanquam memoriae optime succurrentes, quae cum re gene-
ratim determinanda aequē conueniunt.

§. II.

At rei ipsius plenior figura idea est. Definitur podagra, quod
sit dolor diuerso gradu atrox & lancinans in loco neruoso & ten-
dino-

(a) Ita LVCIANVS in Tragopodagra ipsam fistit, sui nominis rationem
reddentem : παρὰ δὲ τοῖς πολλοῖς βροτῶν ποδάγρα καλέματι
γιγνομένη ποδῶν ἄγρα.

A